Consulibus, & toto Senatu cum omni solennitate ad talem actum requisitâ subscribitur. Addit Gubernator particulariter juvans, sub splendore Nobilitatis suæ, sub veritate honesti viri, sub salute animæ, sub exclusione regni cælestis se totâ vitâ suâ Gochiæ non fuisse. Quis, obsecro, talia jurare vellet, si mali conscientiam circumferret.

CAPUT XXIII.

De confessione cujusdam Fabricatoris perspiciliorum, qui notitiam falsarum istarum Literarum habebat.

HOc ergo attestato supra nominatæ Matronæ instructæ Gochiam redeunt ibidem intelligentes effractionem carceris à Petro Exken factam, nec non abductionem quorundam captivorum Clivos: quare bono animo hilares cogitabant, si hæc materia à discretis Justitiæ administris examinetur, veritas eò citiùs patebit. Verùm hi susurrones modò aures Regiminis falsis mendaciis obturaverant, & oculos veneno suo fuscinaverant, ita ut Justitia hîc denuo exulare cogeretur. Matronæ ulteriùs levant attestata & facilè impetrant à Magistris præfati Textoris, apud quos magis personam furis quàm honesti servi exercuerat. Dum jam promiscuè de Epistolâ Domino Exken traditâ inter vulgus garriretur; accidit, ut hoc audiret quidam perspiciliorum fabricator Religionis Anabaptisticæ, nomine Ryckwynus Gulghens: huic in mentem venit casus quidam cum Textore Gochiam Xantis tendente habitus. Nam quoniam proditores isti nomen Presbyteri Gerhardi Xantensis ignorabant, sic pro formâ Textori in mandatis dederant,

derant, ut sub aliquâ specie Presbyterum adiret, & cautè observaret, num pitzetum prædicti Domini clepere posset ad literas subsignandas: verùm spe suâ frustratus Textor in diversorio valdè isti Anabaptistæ conqueritur literas has, de quibus multum dependebat, signatas non esse, insuper & Anabaptistæ ostendit, qui legens superscriptionem ait linguâ vernaculâ: *De wyl het aen soo een deegelyck Man geschreven is, en daer hy van dan koompt veel van een Cruys houden, so sal ick u den Brieff toemaecken.* Hæc acciderunt circa tempus vespertinum in diversorio Calcariæ ridendi causâ. Quid fit? Anabaptista ille Textorem semi-fatuum reputans rotundum ligneolum arripit & polit, eique Crucem Burgundicam inscalpit interjectis quatuor rotundæ formæ punctulis, & apprehensâ cerâ literas consignat. Textor receptis literis mox de gravi materiâ discurrere incipit, dicens: Hæc Epistola adhuc capita demetet, hæc confœderatis Belgii Ordinibus tradetur, hæc quidem ad Consulem Exken directa est, sed nunquam ad manus ejus perveniet, & plura similia effutiebat; quæ omnia Anabaptista ille tanquam à stulto & ebrio dicta explodebat. Anabaptista domum rediens has nugas uxori suæ & affini, nec non Scersantio ejusque uxori narrat, qui idipsum postea attestârunt, quando Ryckwynus hic Anabaptista propter veram confessionem etiam carceris ærumnas subire cogebatur. Dum igitur rumor de hisce literis, quas indies adhuc in ædibus D. Consulis Exken inquirebant, per civitatem spargitur; Anabaptistis istis in memoriam revocatur casus cum Textore gestus, qui circumstantias vicinis suis tam diu narrabant, donec ad aures proditorum istorum perveniret. Hîc famæ suæ &

pelli,

pelli, nec non revelationi maledicti istius compacti timere incipiebant: consulunt igitur, & ad hoc fundamentum evertendum eligitur secundus à Ceporino talis sceleris Coriphæus: hic invisit filiam Goswyni Exken maritatam Signifero Heisterman: lupus sub agni verbis condolet inprimis lamentabili verè statui Domini Patris; addens se audiisse, Anabaptistæ isti quædam constare in solatium captivorum, si hunc Clivos secum ducerent, & plura alia, omnia ficto animo. Sed qualis hic socius fuerit, mox patebit. Hic stante adhuc Magistratu ut plurimum adhuc Catholico bis ab Eodem remotus fuit, sed patrocinio Goswyni Exken denuo restitutus hoc tempore Consulatum gerebat. Magistratum ergo adeunt Filiæ Consulis Exken cum cæteris Matronis, testimonium probitatis & honestæ inter Cives reputationis requirunt, Regimini Clivensi exhibendum. Nunc ingratum erga benefactorem cuculum observabitis; omnibus his beneficiis, & civili charitate post tergora rejectis, rotundè denegare ausus fuit, insuper tribus vel quatuor præsidiariis militibus Civem talem onerans, quem advertebat vel minimum quid in defensionem captivorum dixisse. Summâ igitur violentiâ & inauditâ procedendi viâ ora hominum claudebant; quâ de re duo parva Exempla subjiciam. Habitabat Clivis Mercator quidam Antonius Streur reformatæ Religionis; hic in quodam consortio innocentes defenderat, hoc audiens Lambertus Charles eundem accersiri jubet, & graviter increpans minatur, nisi talibus sermonibus supersedeat scandalo afficiendum; sibi conspirationem tam bellè constare, quàm Deum in cælis vivere: grave juramentum hominis! cui veritas magis patebat. Secundum est: Petrus

Sommel

Sommel Civis Gochensis partem captivorum Civium defendendam susceperat: audientes idipsum susurrones acribus verbis per tertiam vel quartam manum admoneri curant, nî eandem sortem subire vellet, claustrum ori imponendum. Quænam hîc Dea triumphat: Justitia, an pertinacia, & invidia? Attamen Matronæ Gochenses rei veritati confisæ Anabaptistam perspiciliorum fabricatorem accedunt, rogant, si eidem placeret Clivos prò dicendâ veritate comitari. Respondet Anabaptista, libenter quod in me est, pro incolumitate Concivium meorum præstabo. Pergunt ergo unanimiter Clivos, & Lambertum Charles accedunt; vix cubile intrârant, interrogat Lambertus ante cujusdam verbum: *Waer is den Brillenmaecker?* respondet: *hier ben ick myn Heer.* Excandescit Gubernator, & in hæc verba prorumpit: *Dat men hem terstondt in een diefs gatt sette, men sal u leeren liegen.* Mox absque ullo defensionis verbo abducitur in tetrum carcerem, ubi tam diu absque omni examine hæsit, donec per alia media generalis redemptio fieret. Reliqui hæc videntes Cives perplexi & muti hærebant; poterant enim jam sufficienter colligere, veritatem nullo modo inquiri, sed tantummodo media investigari, ut sopiretur.

CAPUT XXIV.

Hâc Anabaptistæ captivitate auditâ plurimi consternuntur, & quidam cautionem afferunt.

COmitatus fuerat Clivos ad requisitionem Matronarum magister quidam opificii textorii Civis Gochensis, cui Textor ille per aliquod tempus famulatus